



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 6. Sanguis Martyrum quantæ sit potentiæ, ad homines à peccatis
abducendos, admirando exemplo ostenditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

§. VI.

Sanguis Martyrum quanta sit potentia ad homines à peccatis abducendos, admirando exemplo ostenditur.

Aglais Romana, mulier claritate nataliū, formæ elegantia, fortunæ beneuolentiâ, copiâ diuitiarum insignis; ex genere nimirum patricio, & eorum, qui proconsularem honorem erant consecuti; eam à prima ætate vultus gratiam acceperat, quæ insidias facere & pati posset. Ac, ne malorum vel irritamenta, vel fomenta deessent, tantæ suppetebant opes, vt ad omnem luxum sufficerent. Accedebat, super omnia, periculosissimum iuuentuti venenum, libera viuendi potestas. Absque parentum oculis, absque mariti custodiâ degebat. Vno verbo, sine vlllo metu, domina erat; & quidquid libebat, faciebat; ipsa domi pariter, & pater, & mater familias. Rarò fortuna, quos nimis amat, seriò amat: nam fauor illius, hamus est vitiorum. Cœpit itaque Aglais pecuniâ vti ad voluptatem; cui cum cupediæ non satis facerent, etiam illecebræ turpes quærebantur. Quid expectatis? in tali domo non habitant simul honestas & potestas. Quid autem non faceret præmortui pudor-

Surius' ex
Meta-
phrasse
§. Iunij

ris muliercula? quid non efficeret excetra, quæ delinimentis permulcebat omnes? præcipuè eos, quibus poterat imperare: inter quos illa nec coniux, nec vidua, nec virgo fuit.

Dipsas serpens est, ad inferendam perniciem summè velox: nam quos momordit, siti inardescunt adeò vehementer, vt paulò post moriantur. Talis erat serpens Aglais, immò longè perniciosior; neque enim illi morfu opus erat, sed ex oculis incendia iaculabatur, & tanquam Medusa, aspiciendo necabat. Habuit hæc, in familia sua, aliquem bonorum suorum procuratorem Bonifacium nomine, qui ingenij solertiam, insigni in eam fidelitate ac benevolentia, reddiderat amabiliorem. Inuictus in eo animus, à solo amore & vino vincebatur: cui & forma promotionem dedit, vt ambiretur; & vinum stimulos, ne frustra ambiretur. Siquidem, vbi ebrietas, ibi rarò diu venustas & castitas sociantur. Accedebat occasio dominæ ad vitium, cum authoritate, allicientis. Itaque Bonifacius ceteris in rebus Iosepho par, sola constantia temperantiâque, toto cælo, ab illo distabat. Sinebat enim se, pro pallio, teneri. Cetera cur verbis exprimam,

Antipat.

nam, quæ ne cogitari à quoquam velim? Quod de aquila legimus in polypum ruente, quæ circumplicantibus & pertinaciter adhærescentibus cirris, vnà cum polypo in profundum maris tracta perijt; id de Aglaide, deque Bonifacio affirmare possemus, nisi hanc labem quantamcunque, sanguine elui posse, ille ostendisset, de quo meritò dicitur: *Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.* Nam etsi rectè indelebiles cruentati imbris notas exposuerit Fulbertus de impijs, deque ijs, qui omne tempus Cereri & Libero deberi arbitrantur, quos difficile est corrigere; at tamen tantùm, *apud homines, hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possible sunt;* cuius mirabiles sunt viæ, quibus hominem reducit.

Vigebat, ea tempestate, persecutio Christianorum, & sacrilegus simulachrorum cultus totum simul occupabat Orientem. Ibi erat tormentorum officina, dirum seculis spoliarium; theatrum crudelitatis; omnis immititatis sedes. ibi in corpora humana inagebantur feræ. ibi conspiciebantur de-rosa Martyrum corpora. ibi semiustulati iacebant, qui in tunica molesta coacti sunt

Thef. e.
pig. anth.
lib. 1. tit.
Piscis.

Pl. 106. 1.

Matt. 19.
26.

ambulare. Nec expleuit sanguinarios editionis dies vnus, menses, anni insumebantur. Ipsæ etiam feminae, sexus rudis, insci-
usq; ferri, ferrum pati cogebantur. Denique
minio arenæ, & nouo semper flore, Marty-
rum sanguine, purpurabantur. Audiit to-
tus orbis de hac Martyrum constantiâ, &
tyrannorum laniena. Peruenit fama etiam
ad Aglaidem: quæ, tametsi à Martyrû vir-
tute longè abesset, capit tamen Martyrum
cruciatu atq; pugnas admirari, victorias
æstimare, reliquias desiderare, vt saltem ve-
nerari posset, quos voluntas non erat imi-
tari. Iam enim, vel per nuncios, intellecto
Martyrû sanguine, calescebat. Quidquid
feminae desiderant, vehementer desiderant.
Quare etiam Aglais omnino statuit, nulli
labori, vel sumptui parcere, vt eiusmodi
martyris corpus posset adipisci. Nullus ad
id negotium Bonifacio vel fidelior, vel ap-
tior videbatur. Quapropter, sicut ei impu-
ros amores, ita etiam hunc sanctum amo-
rem concedidit; ita igitur, remotis arbi-
tris, eum est allocuta. *Scis, frater, quali-
bus simus coinquinati peccatis, nec nobis cura
esse aliquid, quod expectamus futurum, vt si-
stamus ante Deum, & pro his graua subeantur
suppli-*

supplicia. Ceterum audiui à quodam viro pio, quòd si quis eos, qui propter Christum passi & affecti sunt martyrio, in honore habuerit, & coluerit, magna quedam & præclara eum illinc ex eo manet remuneratio, & eadem, qua illi fruatur beatitudine. Multi autem nunc quoque, ut aiunt, pro Christo, pulchra adeunt certamina. Tu verò (etenim iam venit tempus, ut meus ostendat Bonifacius, qua sit in nos affectione) ad hæc mihi inserui, & omni studio eò vadens, prope ad me afferre aliquid è sacris his reliquijs: ut cum eas honorificè deposuerimus, & sacras ædes eis edificauerimus, eos semper habeamus custodes & seruatores. Hæc illa.

Nihil Bonifacius consueuerat Aglaidam negare. Annuente igitur & hinc, aurum, vnguenta & sindonas, ac duodecim equos tradit. Etenim magnus Christianorum amor in reliquias Diuorum, occasionem præbuerat lucri impijs, qui nulli eas, nisi magno precio emtas, dabant. In digressu, dum Bonifacius Aglaidi suæ vltimum vale dicit, per iocum, an vaticinium? addidit: Quid si, ò domina, hoc cœpto frustrareris; *secunda* verò, ut aiunt, *navigatio*, meum ad te corpus afferret: fueritne hoc tibi mediocre tui instituti ac scopi solatium, & apud te habendum in honore?

Non

Non res ista sibi ludos nunc poscit, respondit Aglais: *Deus qui serui formam, propter nos, accepit, & suum effudit sanguinem, ipse ad mea non aspiciat delicta, & mittat Angelum suum ante te, & dirigat gressus tuos.* Dum proficitur Bonifacius, sentit & ipse vim sanguinis per Martyres effusi. Subibat enim eius mentem cogitatio eiusmodi: *Qualia sunt, quæ feci? & qualia sum impuris manibus portaturus?* Hac reuerentiâ tactus sensim cæpit nimiam corporis sui curam deponere; enimuerò eidem pabulum subducturus, carnibus ac vino abstinuit, totâ via; non infrequenter etiam omni cibo. Quod ieiunium, oratione assiduâ ad Deum, decorabat.

In Asiam, & adeò Tharsum vbi venit, tot martyrum fertilem ciuitatem, socijs & equis in hospitio relictis, ipse illico, ne absterfo quidem itineris puluere, in eum se locum contulit, in quo martyres decertabant. In stadiû ingressus conspexit magnam hinc populi multitudinem; inde sanctos varijs quidem tormentis discruciatos, vnum tamen omnibus crimen obijci, *pietatem veramq; religionem.* Tanta erat suppliciorum varietas, vt nemo ferè eisdem, cum altero, subiret cruciatus. Vna interea omnium erat

VOX

vox, Christum Deum esse, profitentium. Itaque vnus pendeat capite in terram verso, igne subtus accenso. Alius quatuor lignis extensus cælum sublimis amplectebatur. Erat, quem ductilis ferra medium secabat. Quibusdam manus, quibusdam pedes amputabantur. Nonnullis oculi eradicati diem negabant. Huic palus per collum transactus, pro clauo, erat: illi brachia in diuersum circumacta & crura in dorsum retorta formam monstri inducebant. Fuerunt, quibus ossa omnia plumbeis cæstibus minutatim conterebantur. Quorundam corpora ita erant mutilata, vt, per terram, ritu globi, deuoluerentur. Hæc atq; alia talia generosi athletæ patiebantur, sine gemitu & clamore; immo quasi eorū corpora fierent, inter cruciatus, vegetiora, ita læti ipsi hilaresque, diuinâ virtute eos roborante, hymnos, laudésque Deo concinebant.

Quod tam mirabile, atque humanæ naturæ vires longè excedens spectaculū postquam attentissimè considerauit Bonifacius, perspicuè profectò ostendit, etiam molles olim, & carni totos immersos, posse ad frugem redire, neq; iam poenitentia tantum, sed etiam martyrij capaces esse, diuinâ gra-

tia

tiā aspirante. Itaque primū ad tantam Martyrum constantiam obstupuit; deinde diuinæ opis vim agnouit; postea totus Deo afflatus, ad pares pugnas ineundas, similesq; coronas consequendas, exarsit. Non diu deliberant inflammata desideria: & ignes magni citò erumpunt in propatulum. Itaq; & Bonifacius, extemplo in arenam descendit; *Et cum se fecisset manifestū omnibus, Martyres; qui erant omnes viginti, singulatim amplectitur. Deinde etiam, omnibus audientibus, magna voce, Magnus est, inquit, Deus Christianorum: Magnus est, qui athletas, sua ope, adiunxit. Hec cum dixisset, rursus latus adhaerebat Martyribus, cum magno desiderio prensabat, Et amplectebatur pedes. Quibus autem deerant pedes, eas, quæ restabant, partes corporis, rogans, ut eorum socius esse, in supplicij coronisque posset. Citatus extemplo, ad iratum Præsidem, denuò se Christianum profitebatur; dijs thura se daturum negat; promissa, minas, carnifices, cruciatus ridet, spernit. Suspenditur ergo pedibus, cæditur fustibus, virgis, flagris, adeò diriter, ut detecta carnibus ossa conspicua essent, oculisque omnium intestina patenter. Marmor cædi putauisses. nam, velut rüpes*

rupes, immotus nihil se sentire ostendit; illud solum dolens, se à reliquis Martyribus loco seiunctum esse, quos velut pulchrum fortitudinis exemplar, fixissime intuebatur. Cum nihil videt ictibus effici iudex, iubet vincula relaxari, darique illi tempus respirandi; ac denuò, num vel iam sacrificare dijs velit, interrogat? Sed iterum dentem solido illidit. Respondet enim Athleta: *Ego ad Deos accedam, cum vel sola eorum appellatio sit auribus intolerabilis?* Accensior rursus Præses acutissimas arundines mandat ei, intra vngues, infigi; quod est tormentum longe grauissimum. At Martyr caelo oculos animumque affigens facilius cruciatum tolerauit, quam Præses imperium, quod exerceuit. Ipsa ergo Bonifacij patientiam impatientior factus, liquidum in os eius plumbum infundi imperat. Quo tam immani decreto excitatus heros iterum manus in sublime, cum oculis, extulit, atque ita orauit: Domine mi IESU Christe, qui me præcedentibus tormentis reddidisti fortiozem; nunc quoque ades, & palam ostende, te mihi opem ferre aduersus sathanam & Præsidentem sathanæ ministrum. Vos quoque, ô fortes Christi milites, qui me exemplo vestro, ad
hunc

hunc agonem, inflammauistis, nunc & precibus adiuuate certantem. Acclamauerunt illi, & victoriam finemque martyrij precabantur. Clamorem hunc secuta est tota populi multitudo, quæ, omnibus iam, ad diritatem, paratis, cum & præsidis crudelitate, & Martyrum incredibili lætæque constantia commota esset, vna & mente, & voce, in hæc verba erupit: *Magnus est Deus Christianorum: Magnus es rex, Christe: omnes in te credimus.* Vix ita clamauerant, cum aram impiam euerterunt, & Præsidentem durum lapidibus sunt persecuti; qui vitam suam in fuga positam videns, grandini tam periculosæ se subduxit, relictoque theatro; domi asylum quæsiuit.

Quis non putaret vel Busridem, tanta multitudinis consensione, placatum iri? Habent autem hoc tyranni, vt, ad Pharaonis ingenium, ipsis prodigijs indurentur, fiântque inde peiores, vnde alij emendantur. Interuenit nox; nec quies furorem sedauit, nec diurnæ seditionis recordatio; sed multò hæc magis animum exacerbans, ita irritauit, vt vix lucem expectaret. Cæpta die, iam armatior in theatrum prodit, aduocatôq; Bonifacio, multa contra Christum

stum effutit; plura tamen vicissim, contra inanes Deos, audit. Paratur feralis scena; lebes pice impletur, flamma subijcitur; Martyr iniicitur. Sed contra Deum nulla vis, nulla potestas vnquam præpotuit. Renouata sunt igitur & hîc triumphorum in camino illæforum miracula. Siquidem Angelus de cœlo lapsus, Bonifacium quidem incolumem, in bullientē pice, seruauit; flammam autem in astantes lictores carnificesque excutiens, eadem fecit, quæ olim in Babylone. Nimirum ignis meliùs sciuit tyranno, qui nocentes essent, vel innocentes. Nondum tamen iudex etiam hoc miraculo didicit sapere, sed iussit tanta iam in reliquis mēbris passo caput amputari. Qui, cū duceretur, mora ad precandum impetrata, stans Orientem versus, alta voce dixit: *Domine mi, Domine Deus, citò me præueniant miserationes tuae, & nunc adsis mihi adiutor, ne mihi malignus aliquid afferat impedimenti, propter ea, quæ in insipientia mihi præcesserunt peccata: sed suscipe animam meam in pace, & inter eos, qui pro te sanguinem effuderunt, & fidem vsque ad finem conseruarunt, me quoque annuera.* Dixit, ceruicem præbuit, è qua secta sanguis & lac fluxit, quo nouo prodigio

gio rursus quingenti quinquaginta viri Christo nomen dederunt; immò à Christo nomen acceperunt. Talis tamque gloriosus exitus fuit illius, qui paulò priùs vitam duxerat minimè gloriosam. Ita mortem, quam vel jocando, vel metuendo prædixerat, est consecutus; sanguine Martyrum, sanguinem illius, ad martyrium, prouocante.

Abluit ergo hic sanguineus imber, è carne, sanguinis notas; & ablutum Deo charum esse miracula docuerunt: vt nemo de diuina miseratione desperet, quisquis hanc tantam audit, vel legit diuinam bonitatem, & dexteram excelsi; cuius mutatio, è coruis columbas; ex immundis Angelos; è scortatoribus martyres facit, denique etiam ex Veneris mancipijs, sanctos. Nam comites, qui cum Bonifacio missi fuerant, pridie in hospitio relictis, harum omnium rerum penitus ignari, per omnem eum ciuitatem, die postero, quæsiuerunt. Non reperiens autem illum, existimauerunt, ambulare per popinas, & vt solebat, bacchari in voluptate, donec in Commentariensem inciderunt, cognoueruntque, martyrem esse, quem illi putauerant scortatorem. Immò cum ille, descripta eius forma habitùque, martyrem
factum

factum affirmasset, vix adduci potuerunt, ut ei fidem adhiberent: *Non nosti*, inquit, *Bonifacium*, qualisnam sit ei vita, & quam propensa ac proclivis ad voluptates, & quam è diametro vitæ repugnet martyrica. Verùm cum postea ad locum ipsi adducti & corpus, & reuulsum inde caput agnouissent, insperata virtute obstupuerunt, ac metuere cœperunt. *Timebant enim*, ne eis aliquid succenseret, quod eius mentem accusassent, eum iudicantes ex eo solo, quod præcesserat, & nescientes, quali vitæ principio, qualem & quam jucundum finem imposuisset. Sed mox metum ademit Martyr, se placide & benigne in eos gerens. Nam postquam caput fuit coniunctum corpori (*Tu es omnium Dominus, ô Christe rex, qui glorificas eos, qui te glorificant*) sensim quidem 1. Reg. 25 aperit oculos: eos autem intuetur amice & placide loquentis speciem præ se ferens, & ostendens, se eis bene velle, & probrorum, quæ in eum ingesserant, minimè meminisse. Illi verò acerbè flentes, & calidas lachrymas effundentes: *Ne memineris*, dicebant, *serue IESV, nostrarum iniquitatum, neque probrorum, quibus te diuinum & sacrosanctum caput stulte sumus insectati.*

Fuerunt igitur comites quoq; atq; socij
 Ec 2 huius

huius Bonifacij in ea opinione, non posse, abluī tantas impuritates: sed reipsa edocti, stultitiam suam defleuerunt; & contrarium se expertos, professi sunt, docueruntque, non solum neminem debere desperare, sed etiam de nemine desperari à quoquam o-

Pf. 106. 8. portere; vt *confiteantur Domino misericordia eius, & mirabilia eius filijs hominum.* Sunt enim misericordiæ eius infinitæ, & omnia mortalium scelera incomparabiliter excedunt. Quare, sicut nullum flumen tam est profundum, quod à mari non absorbeatur, ita nullum peccatum tam est enorme, quod diuinæ bonitatis abyssus non possit abolere.

**S. Chry-
sost. hom.
40. ad po-
pulum.**

Magna remedia pœnitentiæ, fratres ait S. Chrysoſtomus, igitur de se ipſo desperet nemo. Nullum enim est animæ incurabile vulnus. In corpore quidem multa sunt talia; in anima verò nullum, & pro illis quidem laborare non desinimus; & pro his torpemus. Nonne vides latronem, quàm brevi tempore curatus est? Non intueris martyres? Non meminit priorum peccatorum Deus; non est, sicut homo, Deus: neque enim exprobrat præterita: neque dicit reuertenti: Quare tantum temporis distulisti? sed cum accesserimus, diligit: & de his non tantum in nouo, sed etiam in veteri testamento habemus exempla.

*exempla. Quid enim Manasse deterius? Deum 2. Paral.
 tamen propitium habuit. Quid Paulo miserius? 33.
 sed factus est Euangelij praco. Quid Mattheo
 deterius? at constitutus est Apostolus. Propterea Jerem. 8.
 dico, neque scenicus desperet; ait enim Ie- Ephes. 5.
 remias: Nunquid qui cadet, non adiciet, ut
 resurgat? Et Paulus: Surge, qui dormis, &
 exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.
 Licet igitur triginta & octo annos habeas in in-
 firmitate tuorum peccatorum, si modo sanus fie-
 ri studueris, adest & nunc Christus, & dicit:
 Tolle grabatum tuum: tantum velis exur-
 gere, ne desperes. ait enim: Vis sanus fieri?
 Si non ergo habes hominem, habes tamen Deum.
 Nec poteris dicere: Dum ego vado, alius ante
 me in piscinam descendit. Nam si volueris in
 fontem pœnitentiæ descendere, nemo prohibet.
 Non absumitur, nec minuitur gratia. Est enim
 fons perenniter emanans, & ex illius abundan-
 tia omnes sanantur.*

Verè hæc Chrysoftomus. Nam, ne Boni-
 facium duntaxat, è vitæ liberioris licentia,
 sanctum esse factum putemus; Aglais quo-
 que, cum qua turpiter consueuerat, à vitio
 inolito destitit; & pœnitentiam illustrem
 egit. Siquidem illi, qui Bonifacium comitati
 erant, reliquias eius, corpus scilicet ac caput

quingētis aureis emptū, atq; amomo, aliisq; odoriferis vnguentis conditum, lineisque inuolucris candidissimis circumdatum, ac capsæ impositum, Tharso Romam perue-
xerunt, nullas vllius alterius Martyris reli-
quias, præ his, eligendas arbitrati. Dum
sunt in via, Angelus prænuncius è coelo se-
stitit Aglaidi, eamque iussit suscipere veni-
entem, dominum iam & fratrem Angelo-
rum, quem famulum dimiserat; qui ab ea
honoratus, illi esset futurus vitæ seruator,
& animæ custos. Exterrita illa festinandum
rata, cum clero, Martyri obuiam procedit,
ædem materia insignem, structura elegan-
tem erigit: in illa Bonifacius conditus mira-
multa patrauit. Sed maximè mirum erat,
quòd non corpora tantum, verum animi
etiam inibi sanarentur. Illud mirissimum
exitit, quòd ipsa Aglais, eo loci, alia à se
facta sit. Nam, distributis suis, in pauperes,
opibus omnibus, de cetero honestè vixit, &
ex virtute. Neque enim voluptates tantum
illicitas à se abdicauit; sed, per ipsos quin-
decim annos, ita etiam asperum vitæ genus
amplexa est, delicijs cilicia; conuiujs jeiu-
nia; sermonibus lasciujs orationes oppo-
nens; vt & ipsa miraculis coruscaret. Quam-

is miraculum pulcherrimum vtilissimū-
que fuit; è tali foemina, quæ libidinis sta-
bulum fuerat, exemplum pœnitentiæ vir-
tutūque factum esse; in quo diuinæ bo-
nitatis profundissima consilia splendue-
runt.

§. VII.

*Nullum esse tantum peccatum, quod per pœ-
nitentiam non possit deleri.*

Quæ meritò vnumquemque animare,
possunt, ne, cum Cain aut Iuda, à diabolo se
finat adigi ad desperationem, quasi graui-
tas peccatorum maior sit, quàm Dei mise-
rationes. Ades igitur, peccator, etiamsi, in
peccatis atatem omnem contriuisisti; etiamsi
cum adulterijs homicidia, & omnis generis
crimina cumulauisti; habes misericordem
Deum, qui jurans ait: *Viuo ego, nolo mortem*
impj, sed vt conuertatur impius à via sua, &
viuat. Conuertimini à vjs pessimis vestris, &
quare moriemini, domus Israël? Nullum pec-
catum est tantum, quod non remitti possit
à tanto. Quid maius est adulterio & homici-
dio? Audi igitur Davidem de his pœnitentem:
Dixi, inquit, confitebor aduersum me iniustitia
meam Domino, & tu remisisti impietatem pec-
cati mei. Propterea Christus peregrinatus in
terra, maxima peccata remisit; latronem in

Ezech. 33.

10.

S. Chry-
sost hom.
6. de pœ-
nit.